MEDICAE FACVLTATIS DECANI

HERMANNI FRIDERICI TEICHMEYERI

PHILOSOPHIAE ET MEDICINAE DOCTORIS, ANATOMIAE, CHIRVRGIAE AC BOTANICES PROFESSORIS PVBLICI ORDINARII, ET REG. SOC. SCIENT. BORVSS. SOCII

PROGRAMMA INVITATORIVM

DE

LYMPHA CEREBRI

TERTIVM

DISSERTATIONI INAVGVRALI

DE

ANEVRYSMATE

DIE VII. AVGVSTI, M DCC XXVIII.

HABENDAE

PRAEMISSVM

IENAE, DOMINICA X. POST TRINITATIS
M DCC XXVIII.

LITTERIS MVLLERIANIS.





Landula pituitaria in homine non simplex, sed duplex a WILLISIO & DRELINCVRTIO statuitur, fortassis, quoniam in illa fossulam, quam LITRIVS* descripsit, simul observarunt. Quæ fossula quidem hanc glandulam non in duo corpora dividit, sed tantum aditum lymphæ cerebralis, per infundibulum allatæ, ad eam concedit.

Hæc glandula undique reti mirabili cincta, succum quendam tenuiorem, a carotidum ramis sibi suffectum, secernit, quo humor lentus, a ventriculis cerebri ad ipsam delatus, diluatur. Omnis autem lympha cerebralis, per hanc glandulam percolata atque trajecta, miscetur deinceps cum sanguine, pro novo circulo subeundo. Hæc sententia LITRII probabilis valde est, quoniam alia via vix datur ad evacuandam hanc lympham.

Quod vero glandula hæc liquorem cerebralem, per infundibulum allatum, commode transmittere valeat, exin-

* In Historia Academ. Reg. Parisin. 1707.

de patet, quoniam flatus, per infundibulum admiſſus, hujus glandulæ partem cineream extendit, quod LITRIVS obſervavit, l. c. Et porro hic autor confirmat, tunicam externam hujus glandulæ multis foraminulis eſſe pertuſam, ex quibus lympha propullulans, ſanguinem intrat. *

De jam expoſito glandulæ pituitariæ uſu dubitare videtur Celeberrimus HEISTERVS, ** Patronus ac Fautor noſter colendisſimus, commotus ſequentibus rationibus. 1.) Inquit, *glandularum officium eſſe, ſecernere.* Veruntamen ſecretionem lubentisſime concedimus, ſed in hac glandula ſubtilis lympha ſecreta, cum crasſiuſcula ventriculorum cerebri lympha mixta, hanc temperat, fluidiorem reddit, eamque ita adaptat, ut facilius posſit cum ſanguine venoſo miſceri. 2.) Arbitratur Vir Celeberrimus, quod *ſimplex canalis ſuffeciſſet ad lympham cerebralem, per infundibulum ad maſſam ſanguineam ducendam.* Verum enim vero quod non ſuffeciſſet ſimplex canalis, & quod glandula pituitaria in hoc negotio abſolute ſit neceſſaria, ex antea dictis patet, dum lympha cerebralis viſcoſa, in hac glandula percolata, & ſubtili lympha permixta, adaptatur ad novum circuitum, cum ſanguine inſtituendum. 3.) Putat Celeberrimus Vir, *quod ſubſtantia firma & dura hujus glandulæ illi uſui contradicat,* quam ſententiam ſimul fovet celeb. Angliæ Anatomicus, DRAKIVS ***. Aſt hoc dubium mihi vix ſufficere videtur. Nam 1.) ut LITRIVS & SANTORINI demonſtrarunt, tanta ſoliditas in hac glandula non eſt, quia per flatum dilatari poteſt. Et inſuper 2.) adeſſe debet in omnibus glandulis percolantibus aliqua ſoliditas. Hac enim adaptantur ad diviſionem fluidorum viſcoſorum, eo commodius inſtituendam.

ANTO-

* Hoc confirmat ſimul Celeb. SANTORINI, in *Obſerv. Anatom.* Cap. III. pag. 70.

** In Compendio Anatomico, pag. 128. Edit. noviſſ.

*** In Anthropologia, Lib. III. Cap. 4. pag. m. 282.

ANTONIVS PACCHIONIVS, * qui lympham cerebralem in lympham cerebri & cerebelli dividit, quoque ſtatuit, quod lympha anteriorum ventriculorum deportetur, per infundibulum, ad glandulam pituitariam, atque ab hac in venam jugularem. Lympha vero cerebelli, ſecundum ejus ſententiam, deportatur a quarto ventriculo ad calamum ſcriptorium, aut ut in ſanguinem per venas denuo reſorbeatur, aut ut in ipſius ſpinalis medullæ lenem humectationem cedat. Admittit ideo nobiscum lympham in quarto ventriculo, non vero nobiſcum conſentit, quod illa promoveatur vi valvulæ cerebri, per pontes SYLVII & VAROLII, ad infundibulum. Ratio hæc eſt, quoniam ſitus declivior atque magis profundus hujus quarti ventriculi, valvula cerebri tecti, ei ſcrupulum movere videtur. Ex cujus profunditate quidem lympha cerebralis ſua ſponte adſurgere non poteſt infundibulum verſus, facile vero ad illud aditum invenit, ſi vi & motu hujus machinæ muſculoſæ, valvulæ nempe cerebri, ſurſum movetur & premitur.

Eſt ideo in noſtra theoria, qua defendimus motum lymphæ cerebralis e quarto ventriculo ad infundibulum vi valvulæ cerebri, minor difficultas, quam in Pacchioniana, antea expoſita. Putat quidem PACCHIONIVS, conjecturam ſuam, de deſcenſu lymphæ cerebralis ex quarto ventriculo, per calamum ſcriptorium, ad ſpinalem medullam, confirmari obſervatione quadam, ei communicata ab Illuſtri LANCISIO, de puero quodam, capitis hydrope laborante. In hoc puero concrevit ſuccesſive ad coccygem tumor, qui a Chirurgo apertus, per aliquot dies ingentem ſeri limpidi copiam fundebat, & ita puer convaluit, hydrocephalo liberatus.

Veruntamen vix credibile eſt, tumorem concreviſſe ex lympha cerebelli, per calamum ſcriptorium, ad ſpinalem medullam usque delata. Viæ enim valde obſcuræ ſunt. Noſtra autem via, qua lympha calami ſcriptorii, & quarti ce-

* In Tractatu de Dura matre, ejusque glandulis.

rebri ventriculi, ad infundibulum tendit, plana eſt, aperta & evidens.

Expoſita itaque origine lymphæ cerebralis, ejusque evacuatione, in binis prioribus programmatibus, reſtat modo uſus exponendus. Puto vero illum eſſe multifarium. Et quidem 1.) lympha cerebralis ſecernitur ex hac ratione, ut rectificentur ſpiritus, ad nervos properantes. Cum hac noſtra theoria conſentit CRANIVS.* 2.) Lympha cerebri humectat cerebrum, illudque in ſua convenienti temperie conſervat, & ita adaptatur cerebrum ad muneribus ſuis fungendum, etiam ad ſomnum, rite capiendum. Si enim nimium exſiccatur cerebrum, fit agrypnia, ſomnusque denegatur. Si nimium humectatur cerebrum, naſcitur ſomnolentia, imo plane oriuntur affectus ſoporoſi. Ego in ſectionibus cadaverum duplicem talem cerebri ſtatum oculis meis vidi. In aliis enim deprehendi juſto copioſiorem lymphæ cerebralis abundantiam, tum in meningum interſtitiis, tum in ipſis ventriculis. In aliis contra tantam notavi cerebri ſiccitatem, ut ſane meninges inter ſe firmiter conglutinaverit. Denique 3.) lympha cerebralis, ex glandulis duræ & piæ matris propullulans, humectat meninges, in ſpecie duram matrem, earumque muſculos, & lacertos muſculoſos, in debita flexilitate conſervat. Quemadmodum enim lympha pericardii humectat ſuperficiem muſculorum cordis, & ita illorum flexilitatem conſervat: Ita pari modo flexilitas muſculorum, & lacertorum duræ matris, a lympha cerebrali conſervatur.

Hæc ſufficiat dixiſſe de lympha cerebrali occaſione Diſſertationis inauguralis Nobilisſimi & Clarisſimi Medicinæ Candidati,

IOANNIS FRIDERICI
FREDERSDORFFII.

Natus

* In Tract. de Homine, pag. 405.

Natus eft ZWenckaviæ, urbe in circulo Lipfienfi fita, die VI. Octobr. anno MDCCII. Pater ipfius fuit Vir admodum reverendus, nunc vero beatus, Dn. CHRISTIANVS FREDERSDORFFIVS, Diaconus quondam ZWenckavienfis. Mater vero, quam Divinum Numen diu in vita confervare velit, eft BARBARA DOROTHEA, Archi-Diaconi quondam Pegavienfis, optime meriti, Dn. M. MARTINI, HESSII filia. Hi optimi parentes poft S. baptifmatis lavacrum ipfum primum privatis commiferunt præceptoribus, ac bonis moribus, pietate & literarum fundamentis eum erudiendum curarunt. Inter quos in fpecie laudat Dn. DOERINGIVM, Paftorem jam vigilantiffimum Ecclefiæ Goerizianæ. Deinde cum parum adolefceret, in inclytum Gymnafium Martisburgenfe translatus, in eoque publica informatione atque privata ufus eft omnium tunc temporis viventium præceptorum, Dn. M. KVPFFERI, collegæ tertii, Dn. HENCKELII, Conrectoris, Dn. M. VHLII, Rectoris. Sub horum doctiffimorum præceptorum ductu tantos in humanioribus ftudiis, & liberalibus artibus, fecit progreffus, ut dignus fuerit judicatus, qui ad altiora, Academica nimirum ftudia, animum applicaret.

Anno vigefimo hujus feculi fuafu Patronorum celeberrimam falutavit Lipfienfem Academiam, & in numerum ftudioforum receptus fuit a Rectore tunc temporis Magnifico Dn. D. OLEARIO, Iurium P. P. O. Celeberrimo.

Præter alias lectiones publicas, ab Excellentiffimis Profefforibus Philofophiæ inftitutas, inprimis fedulo audivit Cl. Dn. D. AVGVSTVM FRIDERICVM MÜLLERVM, & celeberrimum Philofophum ac Medicum Dn. ANDREAM RÜDIGERVM, quorum fidem & diligentiam grata mente agnofcit.

His transactis, ftudium medicum, tanquam fuum ἔργον, ferio tractare coepit, & ideo vifitavit celeberrimorum Medicorum Collegia, Dn. D. SCHACHERI, ETTMVLLERI, WALTHERI, PLATTNERI, LISCHWITZII, PEZOLDI, Anatomica, Phyfiologica, Botanica, Chirurgica, Pathologica, Semiotica, Thera-

pevti-

pevtica, Chemica. Interfuit quoque decem fectionibus, partim a confummatiffimo SCHACHERO, partim ab exercitatiffimo Anatomico Lipfienfi, WALTHERO, inftitutis. Totum autem fyftema medicum in nexu pertractavit, præeunte Excellentiffimo Dn. D. WALTHERO, Practico Lipfienfi feliciffimo.

Finito ita, cui per integrum fexennium infudavit, ftudiorum fuorum curriculo academico, per biennium in patria commoratus eft, praxin fe exercendi fine, in qua ei obviam venerunt aliquot cafus, valde notabiles, in quibus tamen Divini Numinis clementiam & benedictionem expertus eft. Ante breve tempus noftram acceffit Academiam, & poftquam matriculæ academicæ nomen fuum infcribi curavit, a noftra Facultate decenter petiit, ut in numerum candidatorum reciperetur, & ad examina confueta admitteretur, quo etiam obtento, in examinibus abunde fatis eruditionem nobis probavit. Difputabit ideo pro Licentia, fub Præfidio Excellentiffimi Dn. D. HILSCHERI, Collegæ noftri Honoratiffimi, de *Anevryfmate* die VII. Augufti.

Quem actum panegyricum ut Magnificus Dominus ProRector, Illuftriffimi Domini Comites, Aulæ item, & Academiæ Proceres, Hofpitesque omnium ordinum honoratiffimi, graviffima & benevola præfentia cohoneftare dignentur, nomine Collegii mei, ea, qua par eft, humanitate rogo eosque invito. P. P. Ienæ, fub Sigillo Facultatis Medicæ, Dominica X. poft Trinitatis, M DCC XXVIII.

